



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Principibvs Alamanniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

petimus fructuosam. Quocirca magnitudini vestre auxili-  
mus declarandum quod mortuo inclito Domino nostro  
Henrico Romanorum Imperatore Augusto, collecta mul-  
titudine Principum, ubi nobilium & ministerialium im-  
perij numerus aderat copiosus, illustrem Dominum no-  
strum Philippum in Imperatorem Romani solij rite &  
solemniter elegimus, quo nec ingenuitate sublimiorem  
nec honorum luce magis conspicuum neque ad sceptrum &  
regimina sacri imperij gubernacula nec ad Ecclesiam Dei,  
sicut dignum est & expedit, defensandam potiore potui-  
mus invenire. Verum quoniam propter paucos Princi-  
pes iustitiam resistentes ad negotia imperij utiliter pertra-  
canda ad hæc usque tempora non convenimus, nunc de-  
liberatione habita cum prædicto Domino nostro Rege  
Philippo apud Nurembergæ solemnem curiam celebravimus,  
unanimitèr, ita Domino nostro, disponente altissimo,  
contra turbatores suos adiutorium præstitimus quod nullus  
in imperio & in terris quas serenissimus frater suus ha-  
bit ipse audebit dominium reculare. Quocirca dignitatis  
apostolicæ clementiam omni studio & attentione rogamus  
ut precam nostrarum interventu, qui Romanæ Ecclesiæ  
statum optimum semper dileximus, ad jura imperij ma-  
num cum injuria nullatenus extendatis, diligentius atten-  
dentes quod non sustinemus jus Ecclesiæ ab aliquo dimi-  
nui aut infringi. Igitur favorem vestrum & benevolen-  
tiam excellentissimo Domino nostro fructuosius impen-  
datis, & ejus honores ac commoda ita, ubi potestis, eri-  
gere dignemini cum effectu ut iustitiæ non dominetur ini-  
quitas, sed subdator semper falsitas veritati. Monemus in-  
super & precamur ut dilecto amico nostro devoto & fi-  
deli Domini nostri Regis Philippi Marcialdo Marchioni  
Anthonensi, Daci Ravenneasi, procuratori regni Sic-  
iliæ, imperiali aule Senescalco, in negotiis Domini  
nostri apostolicam præstetis benevolentiam & favorem,  
nec resistentes ei præbeatis adiutoria, sicut de vestra  
confidimus sanctitate; certissimè scientes quod omnibus  
viribus quibus possumus Romanam in brevi cum ipso Do-  
mino nostro divinitate propitia venimus pro imperato-  
ris coronationis dignitate ipsi sublimiter obtinenda. Hæc  
omnia vobis tam ex nostra, qui præsentem existimus,  
quam ex parte aliorum Principum scripsimus, quorum  
nuntios & litteras habuimus; qui etiam Domino nostro  
fidelitatem fecerunt & hominum; quorum nomina sunt  
hæc: Patriarcha Aquilegensis, Archiepiscopus Bremen-  
sis, Verdensis, Halverstadensis, Merseburgensis Episco-  
pi; Nuyvenburgensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Ba-  
beburgensis Episcopi, Pataviensis, Curienfis, Tridenti-  
nus Episcopi; Metensis, Tulensis, Verdunensis, Leo-  
diensis Episcopi, Comes Palatinus Burgundiæ, Dux Car-  
ringiæ, Dux Carinthiæ, Dux de Bites, Marchio de Lan-  
nepere, Marchio de Voheberg, Comes Palatinus de  
Tuing, Comes Palatinus de Vvitelinsbach, & alij  
quamplures Comites & nobiles, quorum hic nomina re-  
ticemus. Datum Spire v. Kal. Iunii.

## PRINCIPIBUS ALAMANNIAE.

Litteræ quæ nobis fuerunt ex parte quorundam  
vestrum per dilectum filium P. Iudicem  
Placentinum nuper oblatæ diligentèr investiganti-  
bus in multis apparere suspectæ, sicut idem Iu-  
dex, qui causas suspicionis à nobis audivit, viva  
voce vobis poterit explicare. Quatuor autem capi-  
tula memoratæ litteræ principaliter continebant,  
ad quæ per ordinem de consueta benignitate sedis  
apostolicæ duximus respondendum. In primo ca-  
pitulo exprimebatur quomodo multi Principes  
Alemanniæ nobilem virum Philippum Ducem  
Sueviæ sibi præfecerunt per electionem in Re-  
gem, cui postulabant à nobis favorem aposto-  
licum impertiri. In secundo rogabant ut non ex-  
tenderemus manus nostras ad jura imperij cum  
injuria, cum ipsi jura Ecclesiæ vellet illibata  
servari. In tertio intimabant quod Romam erant  
in brevi venturi pro corona imperij præfato Phi-  
lippo solemniter obtinenda. In quarto monebant  
ut Marchioni præstaremus benevolentiam & fa-

Tom. I.

vorem, nec ei resistentibus auxilium præbere-  
mus. Nos autem, sicut per alias vobis litteras  
meminimus plenius intimasse, super discordia  
quæ inter vos peccatis exigentibus est suborta  
paterna compassione dolemus, cum ex ipsa, nisi  
Deus averterit, multa prævideamus pericula  
proventura. Audivimus tamen & merita electo-  
rum & studia eligentium, videlicet quis & qua-  
lis, à quibus & qualiter sit electus, ubi & à quo  
etiam coronatus; ut non penitus ignoremus si  
cui favor sit apostolicus impendendus. Fuerunt  
autem quidam homines pestilentes, & adhuc  
multi sunt tales, qui nunquam vellet videre  
concordiam inter Ecclesiam & imperium, ut li-  
berius suas possent iniquas perficere voluntates,  
mentientes quod nos ad diminutionem & depres-  
sionem imperij nequiter laboremus, cum potius  
ad promotionem & conservationem ipsius effi-  
caciter intendamus; quia licet quidam Impera-  
tores Ecclesiam vehementer afflixerint, alij ta-  
men eam multipliciter honorarunt, atque uti-  
nam ita nobis Ecclesiæ jura servata fuissent ille-  
sa sicut nos imperij volumus illibata jura servari:  
quia sic jura nostra & recuperare volumus &  
servare ut aliena nec invadere nec impedire ve-  
limus. Cum autem imperialis corona sit à Ro-  
mano Pontifice concedenda, eo rite prius electo  
in Principem & prius in Regem legitime corona-  
to, talem secundum antiquam & approbatam  
consuetudinem libenter ad coronam suscipien-  
dam vocabimus, & iis de more perfectis quæ ad  
coronationem Principis exiguntur, eam sibi fa-  
vente Domino solemniter conferemus. Dignum  
verò responsione non credimus quod scriptum  
fuit super negotio Marchionis, cum, si plenius  
iis qui scripserunt ejus iniquitas & perfidia pa-  
ruissent, non pro ipso sed contra ipsum nos de-  
buissent per suas litteras exorare, quia juramenta  
quæ jam tertio nobis exhibuit tamquam perfidus  
violavit, atque regnum Siciliæ, quod ad jus &  
proprietas apostolicæ sedis non est dubium  
pertinere, contra fidelitatem & hominum quæ  
fecerat carissimo in Christo filio nostro Friderico  
illustri Regi Siciliæ ratione terræ quam tenebat in  
regno, & nobis & ipsi moliebatur auferre, vo-  
lens se ipsum, sicut pro certo cognovimus, face-  
re Regem; qui cujus conditionis existat, vestra  
prudencia non ignorat. Propter quod & ab in-  
clitæ recordationis Constantia Imperatrice me-  
ruit publicè dissidari, & à nobis propter hæc &  
alia facinora, quæ in gravem imperij commisit  
& committit injuriam, cum suis fautoribus ex-  
communicationis laqueis ireturi; qui suis exi-  
gentibus culpis ita cum suis fautoribus per Dei  
gratiam est compressus ut quasi dissidens longè  
aliud cogitare cogatur. Monemus ergo vestram  
universitatem & exhortamur in Domino quate-  
nus in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ  
matris tamquam speciales filij persistentes, de ip-  
sa quid rectum & honestum est sentiat, aver-  
tentes aures ab iis qui fallaciis & mendaciis in-  
nocentiam & justitiam subvertete moliantur:  
quia per merita beatissimi Petri, cui, licet  
indigni, successimus in apostolatus officio,  
præcedente Christi gratia & sequente illa cu-  
rabimus diligenter efficere quæ ad divini nomi-  
nis gloriam, apostolicæ sedis honorem, im-

T T t

Vide lib. 1. epist.  
108. & gesta in-  
noc. 111. cap. 24.

Epist. 15.

Vide gesta innoc.  
111. cap. 23.

perialis excellentiæ magnitudinem, salutem animarum & corporum redundabunt.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 16.

**M**irabile gerimus & indignum quod cum de statu regni Theutonici referantur tam varia & diversa ut adversa & contraria videantur, tu nec per litteras nec per nuntios curasti nobis exprimere veritatem. Quamvis autem inter innumeras sollicitudines nostras de temporalibus etiam nos oporteat cogitare, quia tamen spiritualia, tamquam digniora, volumus, ut debeamus, omnibus anteferre, nemo inaniter existimet quod Prælatorum tam ecclesiasticorum quam secularium manifestos excessus, & præsertim perjuriam quæ recenter à quibusdam vel infra annum commissa vel de cetero committenda nulla tergiversatione poterunt excusari, clausis velimus oculis præterire, quæ cordi nobis est, cum per Dei gratiam tempus acceperimus iustitiam iudicandi, animadversione debita castigare. Ut autem interim à te negligentiam excutias & torporem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus status Principum, rerum eventus, & negotiorum processus & per litteras & per nuntios intimare procures. Datum Laterani . . . Novembris,

*In eundem modum nobili viro Duci Lovania.*

LITTERÆ PHILIPPI DVCCIS  
Suevia.

Epist. 17.

**R**everendo in Christo Patri Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Philippus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, salutem & filialem dilectionem. Pro negotiis imperij cum sanctitate vestra pertractandis familiares & dilectos Capellanos nostros Fredericum Præpositum sancti Thomæ apud Argentinam & Iohannem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum latores præsentium transmittimus ad apostolicam præsentiam, cum plena fiducia universa negotia quæ cum paternitate vestra decrevimus pertractanda ipsorum providentiæ commendantes, & verba nostra in ore ipsorum ponentes. Rogamus igitur & monemus benignitatem apostolicam quatenus ea quæ præfati Capellani nostri ex parte nostra vobis intimaverint, attenta aure intelligatis, & verbis ipsorum tamquam à proprio ore nostro prolatis fidem indubitam adhibeatis.

RESPONSIO DOMINI PAPÆ  
facta nuntiis Philippi in consistorio.

Epist. 18.

**I**N Genesi legimus quod Melchisedech fuit Rex & sacerdos, sed Rex Salem, & sacerdos altissimi, civitatis vicelicet Rex, & deitatis sacerdos. Sanè si distat inter civitatem & deitatem, distat utique inter regnum & sacerdotium. Nam etsi Melchisedech in figura Christi præcesserit, qui habet in vestimento & in femore suo scriptum Rex Regum & dominus dominantium, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ad notandam concordiam quæ inter regnum & sacerdotium debet existere, propter quod & ipse Christus secundum naturam carnis assumptæ de stirpe regali pariter & sacerdotali descendit, ad notandum tamen præminentiam quam sacerdotium habet ad regnum, cum Abraham rediret à cæde Regum, dedit Melchisedech ex omnibus decimas, qui benedixit ei proferens panem & vinum. Erat enim sacerdos altissimi. Dignior autem est qui decimas recipit quam qui decimas tribuit, & minor qui benedicitur quam ille qui

benedicit, juxta quod probat Apostolus, qui de hoc ipso loquitur dicens: *Sine ulla contradictione minus à meliore benedicitur.* Qui volens ostendere sacerdotium evangelicum dignius esse Levitico, probat illud per hoc quod Levi in lumbis Abraham decimatus, quando Abraham dedit decimas Melchisedech quasi minor majori. Licet autem tam Reges quam sacerdotes ungantur ex lege divina, Reges tamen ungantur à sacerdotibus, non sacerdotes à Regibus. Minor est autem qui ungitur quam qui ungit, & dignior est ungens quam unctus. Propter quod & ipse Christus, cui dictum est per Prophetam, *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis,* patrem ungentem asserit se uncto majorem. *Pater,* inquit, *major me est.* Nam pater est ungens secundum quod Deus, filius autem est unctus in quantum est homo; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Hinc est quod Dominus sacerdotes vocavit deos, Reges autem Principes appellavit. *Diis,* inquit, *non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Et de servo qui maluerit remanere cum domino dicit ut offerat cum diis, hoc est, sacerdotibus, & perforabit aurem ejus subula, & erit ei servus in seculum. Sed & propter dignitatem officij sacerdos angelus appellatur, dicente Domino per Prophetam: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus. Angelus enim Domini exercituum est.* Dictum est etiam, non à quolibet, sed à Deo, nec cuilibet, sed per Prophetam, non utique de femine regio, sed de sacerdotibus qui erant in Anathot: *Constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas, adifices & plantes.* Simile dicitur Petro, sed excellentius. *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in calis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in calis.* Illi dictum est: *Constitui te super gentes & regna.* Illi dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam.* Illi dictum est: *evellas & destruas, adifices & plantes.* Illi dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in calis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in calis.* Illi dictum est: *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum ut eruam te.* Illi dicitur: *Portæ inferi non prevalebunt adversus eam.* Principibus datur potestas in terris, sacerdotibus autem potestas tribuitur & in calis. Illis solummodo super corpora, istis etiam super animas. Vnde quanto dignior est anima corpore, tanto dignius est etiam sacerdotium quam sit regnum. Petro legitur vas ostensum quatuor initiis submissum de cælo, in quo continebantur omnia animantia volatilia, quadrupedia, & reptilia, munda pariter & immunda; & dictum est ei: *Macra & manduca.* macra vitia, & manduca virtutes; macra errorem, & manduca fidem; quasi evellas & destruas, adifices & plantes. Quia singuli proceres singulas habent provincias, & singuli Reges singula regna; sed Petrus, sicut plenitudine, sic & latitudine, præminet universis, quia Vicarius est illius cujus est terra & plenitudo ejus, orbis ter-